

Pag. 175. exstat, *Le Lundi 20. de Schaban*, & in Margine *Le 15. Mai.* Mihi 20. Dies *Schaban* Anni 801. Hegiræ est Dies 27. Apr. Anni Chr. 1399. & quidem Dies Solis, cum in Historia Dies Lunæ notetur. Verum neque 15. Maji in diem Lunæ cadit, sed in diem Jovis.

Pag. 178. hæc verba leguntur: *Le quatriéme jour du mois de Ramadan 801, qui se rapporte à l'andu Lièvre, &c.* Hic dies est secundum meam computationem D. 10. Maji Anni 1399. Huic anno respondet annus cycli Sinici 16. & annus Cycli Tartarici, 4, cui *Lepus* assignatus est; ut ita etiam hoc exemplo comparatio mea confirmetur.

VII. Tomo IV. p. 15. dicitur, Victoriæ Timur-Begi contra Bajazethem, Imperatorem Turcarum, contigisse, *un Vendredi dix neuf de Zilcadé 804. qui répond à l'andu Cheval.* Fuit ergo primus dies *Zilcadé* dies Lunæ, & primus dies *Moharram* dies Solis, sive Fer. 1. Ponitur verò initium anni 804. Hegiræ in Tabula Gravii, in diem 10. Aug. Fer. 4. Anno Chr. 1401. Secundum Scaligerum idem annus incipit Fer. 5; error itaque aliquis latere videtur in Historia. Ceterum mensis *Zilcadé* cadit in Æstatem Anni Chr. 1402. cui respondet annus cycli Sinici 19. & Tartarici 7. sive annus *Equi*. Præterea Auctor notat, victoriæ contigisse, cum Sol esset in 6 gradu Leonis. Hoc errorem nobis detegit, scilicet, loco mensis *Zilcadé* reponendum esse *Zilhadgé*, quem alii *Dulheggiab* scribunt. Nam secundum Scaligerum dies 19 mensis *Zilchadsche* cadit in 20. Jul. 1402. [quo Sol sub meridiano Parisiensi in meridie fuit in 5°. 17'. Leonis. Fuit vero hic dies dies Jovis. Sequenti die, qui fuit dies Veneris, locus Solis reperitur in 6°. 14'. Leonis, & hic pro vero die Victoriæ habendus; quare sequitur, in hoc anno, dissensus unius diei inter Scaligeri dispositionem anni Arabici, & Historiam.

In eodem Tomo p. 49. legitur: *Le Samedi Sixième de Jumazyulevel 805.* Ergo primus dies *Jumazyulevel* fuit dies Lunæ, & primus *Moharram* dies Martis, sive Fer. 3. Secundum Tabulam Gravii annus 805. Hegiræ incipit Anno Christi 1402. 31 Jul. Fer. 2. Secundum Scaligerum verò initium hujus anni cadit in Fer. 3. D. 1. Aug. quod cum Historia congruit. Cadit Ergo D. 6. mensis *Jumazyulevel* in diem 2. Dec. An. Chr. 1402. qui fuit dies Saturni. In Auctore ad marginem legitur